AD PERILL.REM ET REV.MUM D.

D. FLAMINIVM PARISIVM CONSENTINVM,

EPISCOPVM BITONTINVM.

Antonij Vallij Romani Odæ tres,

Et eiuſdem Panegyris

DE IOANNE LEONARDO ALEmagnia Conſentino, publicæ Academiæ Pareliæ Rectore creato.



ROMÆ,


Apud Impreſſores Camerales, MDXCIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

PER ILLVSTRI ET REV.^MO D.

D. FLAMINIO PARISIO BITONTINO EPISCOPO

Antonius Vallius. S. P. D.



CARMEN quod iampridem, ſub tuo nomine excudendum ſtatuerā, neſcio an diuinitus factum ſit, vt in hæc tēpora trāsferretur, quibus Epiſcopatus dignitatē, neſcio (dicā audacter an Clementis P. O. M. humanitate an tua ingenti virtute aſſecutus es, quo nimirū, maiori ſeptū propugnaculo, doctiores oculos obiret, quos alioqui ſe enerue, & imbecillū cognoſcens adire erubeſceret, atq; eo libētius in hoc adducor, quod in eo carmine pauca ex plurimis de Io. Leonardo Alemagnio adoleſcēte, Nobiliſſimo Optimoq; ſum cōplexus, qui tūc tēporis cum hanc panegyrim habui, nemine refragante, publicæ Academiæ Pareliæ Rector, ſummo omnium cū gaudio fuit declaratus, cuius ingentes virtutes licet per ſe late effulgeant, tamē eæ, & ab Vrbe Conſentia, ex qua tanquam ex equo Troiano, quotidie Illuſtres fortiſsimiq; viri promanant, & quod tibi ſanguinis iure ſit coniunctus mirum in modum Illuſtrantur, quæ cum ita ſint, cur Carmen hoc licet per ſe admodum imbecillum; tamen, quod de magnis viris loquatur, quodammodo obfirmatum in lucem prodire pertimeſcat ? Nec omnino abſonum fore arbitror hic odas ante, & poſt Epiſcopatum tibi conſecratas affigere, vt omnibus, & tua erga me humanitas, & mea in te prope iam inueterata obſeruantia innoteſcat. Vale xiiij. Kalendas Nouembris.

DE PERILLVSTRI ET REV.^{MO} D.

D. FLAMINIO PARISIO EPISCOPO BITONTINO

Antequam Episcopatu foret insignitus.

EXERCITATVM sæpe ligonibus
Solum recuruis flaua Proserpinæ
Mater triformis quod superbum
Esse iubet viridante dorso
Statis diebus flumina rimulis
Calore hyulcis si bibit, aeri
Si subiacet clementiori
Non tribulos sibi commodato
Pro farre reddet, gramine inutili
Nec spes coloni illudet, at exerens
Artus ob armatos aristis
Agricolæ superabit æstus.
Parisiorum *stemmate* Flamini
Dignate, nubes vertice percutis,
Ac sicuti ducente natura
Æthereas subit arbor auras
Auesq. complent questubus aerem
Et ponderosæ res medium petunt
Ac piscis irrepit profundo
Et vitreus iuuat orbis ignem.
Sic a tenellis vnguibus, ocium
Natos sequaces Palladium creat
Parisa *gens, hac orte, fructus*
Quos dabis hac nisi gente dignos?
Ætate prima te bona candidis
Minerua mammis nutrijt, vtili

Tibi labore exercitato
Sæpius insinuauit ignem
Quo ductus exin, ac modo subditus
Clementis auræ labia contraham
Si vincla cælatosq. nexus
Scitaq. PONTIFICVM resoluis?

DE EODEM quod Episcopus creatus sit.

DVM Tusculanis segnior hortulis
Oberro inerti deditus ocio
Et defatigatum Minerua
Me salebris iuuat euagari
Clemente fertur vindice maximo
Te te infulatis Patribus additum
Iussamq. pastorum nitentem
Esse manum rutilante virga
Quos nempe fidos nouerit asseclas
Virtus quietis nescia languidæ
Sibiq. non fessos adesse
Sub calido gelidoue cælo
Nulloq. curas claudere termino
Neu temperatum ruribus aera
Captare longos pertinaci
Desidia enumerare menses
Fulgentiores imperat omnibus
Hos ferre vultus, muricis irrigat
Hos rore, fumosis & horum
Stemmata imaginibus renident.
Parisiorum Stellula flamini,
Romæ resurgens gurgite, & aureæ
Virtutis haud ignaue cultor

Æthra niues iaciat vel ignes
Te ſtella maior ſcripſit in ordinem
Epiſcoporum, qua duce Syderum
Pro more nunquam obliuioſus
Occiduo pelago natabis.

DE EODEM Sacro Epiſcopatu initiato.

CVR præter ſolitum licia barbiti
Noſtri incompoſito murmure perſtrepunt
Et ſicut decoris neſcia Flamini
Hibernæ vt glacies rigent.
En vincti medio flumine Tantali
Arcentur cupidis pocula faucibus
Arêtes ſtipulas en famis immemor
Ignis perpetuæ timet.
Nimirum inſolito preſſa ſilentio
Noſtræ fila chelis, Pariſio nouos
Vires e ſuperum ſedibus additas,
Ingentemq. potentiam
Mirantur; populũ qua ſibi creditum
Certo ad cælicolas tramite dirigat
Sacrato manibus gurgite, vertice
Sacris imbribus oblito.
Talari en tunica tectus, & annulo
Ornatus digitos, ac quoties manu
Virgam, cælituum fulgidus infula
Spargit dona benignius.
Ciues Pariſio *flectite poplitem*
Quãdo cæruleis Patribus additus
Incedit ſuperum dignus honoribus
Diuini gregis arbiter.

ANTONII VALLII ROMANI

Panegyris

DE IOANNE LEONARDO ALEMAGNIA CONSENTINO

Publicæ Academiæ Pareliæ Rectore creato, & de eius Magistratibus habita Romæ publicæ in eadem Academia viij. Idus Nouembris A.D. 1592.



INC Consentinos subeuntes limina fasces
Pareliæ expediam paucis cur ipse requiram
More Poetarum syluestria numina musas
Ad labi numero dextras, driadesue puellas,
Si vos dicentem facie recreatis amica
Si mihi cantanti neruos præbetis & arcum?
Quid musis opus est si tu mea vota secundas,
Aspectuq; foues Heliconis maxima Benci
Cura iugi, tumidos asuete haurire liquores,
Seu iubeat mestos elegeia soluere crines
Seu tibi Pindaricos mens est innare per amnes
Siue leues tragicis numeris astringere soccos,
Heroumue velis modulari prælia neruis.
Verum quid video vibrati fulminis instar.
Me rapit alatus sonipes, quem rheda moratur
Currentem, o quanto strepitu cælum omne remugit,
O quot cornipedem virgis auriga fatigat,
Auditis quanto dissultent verbera motu,

Verbe-

Verbera tanareis non exaudita caminis?
Quo vaga mens rapitur, validæ quid corpore vires,
Deficiunt, quis me prohibet descendere curru.
En vacuis decies obluctor inaniter auris,
Nec potis est saltu librare per aera corpus?
In somnis veluti mortalibus accidit, vt si
Forte velint sese sectantis cornua tauri
Et celerem vitare necem, sibi velle videntur
Aereo mortem saltu superare sequacem,
Sed vis in medijs conatibus irrita languet,
Quis scit an illudant & me modo somnia, fulchris
Sæpius vt vanis spectris me terruit horror.
Ergo sequi liceat, liceat mihi cernere, finem
Quem petat hic sopor, & quadrupes quo dirigat axem
Ac nisi caligant oculi, moderatur habenas
Cælestis proles Pallas, nam cassida crines
In nodum lectos pressat, ludibria pennæ
Sunt ventis, cono currus Phœbee renides;
Lorica æthereum tutatur ahænea pectus,
Cingula fulgescunt bullis, ex ære cothurni,
Prona pedes lambit præfixa cuspide cornus,
Propter Amaltheæ circundata pelle relucet
Egis, at heu miser implorat tua numina Virgo,
Saxificæ procul à nobis vis sæua Medusæ
Absit nam clypeo tetrum caput horret, & atris
Fulminat iratum flauo pro crine colubris,
Essedа sydereis splendent virgata fauillis
Aureus est temo, ac varijs internitet astris,
Est rota turbinibus longe velocior, en iam

En

En nostris oculis vanescunt flumina tellus
Vanescit, vastiq. abeunt caua littora ponti,
Cesserunt auræ cælum vndique, & vndiq; cælum
Cernitur, ò quantus lunaris visitur axis,
O quantis sol currit equis, quam se arduus effert.
Hic Nemeæ rabies feruet, Jouis ales aperto
Lætatur cælo, hic serpens fecunda veneno
In varios caudam maculosam colligit orbes,
Centaurusq. iacit neruo, stridente sagittas,
Hic Aquilæ spolium puer ò Troiane residis,
Qui ruptis auges Tyberinum fontibus alueum
Qui ad nos venturos terres pluuialibus vndis
Hic vos pendetis Venus, ac pharetrate Cupido
Mutati in gelidos gelida formidine pisces,
Hic Aries, Taurus, Gemini, Cancerq., relictos
Hic Astræa homines deflet, hic lancibus equis
Nocturnas horas exæquat libra diurnis,
Hic iubet Autumnus calcatis spumeus vuis
Vitibus excerpi prædulcis munera Bachi
Cætera Tritonis leuibus negat excita pennis
Suspicere, o superis tantum loca digna maniplis.
Scorpius en nigro infectus sudore veneni,
Curuat in obliquum flexo curuamine chelas,
Phæbeo nimium flammatus crine superbit,
Hic stat pro tecto, auratas cui firmat acerna
Sylua fores, circum ramos imbuta Mineruæ
His aspersa notis spectantes carmine pascit,
Aurea perpetuam terit hic concordia pacem.
Ecce coruscatum ingenti conamine telum,

Vibrat in aduersos Pallos tritonia postes,
O quanto splendore patent penetralia, gemmis
Argento inclusis squallent, animata figuris,
Admixtus plantis auro calcatur idaspes,
Quis scribat laquearis inenarrabile textum?
Sed nam quæ Virgo collecto crine decenter,
Cui tenuis teneros obnubit carbasus artus,
Virgineis pedibus fractos gladiosq. iubasq.
Calcat, & horrentes fædo pædore pharetras,
Ferratosq. globos, tormentaq. bellica, Mauors,
Queis turbas tristi proceras turbine turres.
Ipsa puellari mulcens penetralia cantu,
Pertenues animat pernici pollice telas,
Capta viro phrigio nunquam Sydonia Dido
Tam clarum construxit opus, vix Phæbe renides
Verior, æquoreas cum lumine percutis vndas,
Hic vada deduxit nullis turbata procellis
Argento, modo littus acu depigit acuta,
Heu vereor doctam rorasse aspergine dextram,
Desuper est mentita polum, medioq. vagatur
Sol triplex cælo, radijs Neptunia, findens
Æquora, num cælum pontus, num pontus olympus
Ambigo, vtrinque triplex paribus virtutibus extat
Cynthius, ac paribus scintillat vtrinq; capillis.
Sed quoque cælestes Romano nomine gaudent
Dextera Romanis pars en insignibus ardet
Planicie in media terram mordente phalanga
Quæ procerum, ac plebis Romanæ nomina signat
Ac super ignitum radijs diadema refulget

Parhasij

Parhasij velum quid es admirata vetustas?
Deceptamq. tuo volucrem generose racemo
Zeuxis & effigies Veneris te reddit Apelles
Æqualem superis, hæc vna coloribus addit
Vitam, pictores densa hæc caligine mergit.
Læua minus digno haud radiat pars tegmine, visum
Auertunt terni rorantes sanguine vectes,
Ac totidem paribus conniuent sydera pupis.
Increpat hanc Pallas loris auriga relictis.
Scilicet hoc nobis sic est concordia tempus
Ducendum, lænire decet nunc pectore curas,
Patelius furit ordo, suum de more magistrum
Lecturus, signis disiectis vndique, gaudet
Quisq; procis, quid enim superest nisi clamor ad armă?
Te picta telæ, te stamina fulua morantur,
Labor ego dudum volucri per inania curru,
Ceu lupa cui rabies, & amor compressus edendi,
Sub noctis tenebris tacitos si sæuit in agnos,
Pastorem non ista mouent; sed carmina buxo
Sub densis vmbris plantani modulatur agresti.
His Virgo pauet auditis. Alemagnius *esto*
Rector ait, dudum cui dextera nostra laborat.
En onerat pennis humeros, velocior alis
Fulminis aereos discindit remige campos
Ast vbi sum? nostram quæ mentem insania mutat
Quidq. animum ficta deludit imagine rerum?
Credebam superis me insertum credulus, en vos.
Detineo, & raucis obtundo vocibus aures,
Quod vidi somno mersus, nisi fallor ad vnguem

Cerno vigil, nostræ sunt hæc insignia turmæ,
Qua non nobilior Romana cernitur vrbe;
Ceu flammas inter splendescit luna minores,
Parelium sydus sic enitet, atque volantes
Concutiens pennas caput inter nubila condit.
Quam merito triplex cælo sol fulgurat ore,
Cum Deus imparibus numeris lætetur, & idem
Trinus ab excelso Deus æthere dirigat orbem
Quam bene Neptuni inferius strepit vnda, meatus
Illa per occultos, ceu terras irrigat omnes.
Quadrupedumq. leuat feruentes faucibus ignes
Incrementa satis tribuens; gelidamq. ministrans
Vim plantis, toto partitur fercula mundo,
Conscia non aliter iuris, legumq. perita
Mens, æquis vrbes loris moderatur, & ira
Feruentes animos tumida regit, illa subalta
Pauperie releuat pressos, à sedibus imis
Illa malos vertit turbantes ocia ciues.
Extollunt pennas, ipsoq. perennius ære
Auxilio legum, nomen, famamq. lucrantur
Mortales sibi, Piceni mihi Bartole campi
Inclyte testis ades, qua nam tua tempora lauru
Balde *micant? tantum cui debent iura;* Catani
Balde tibi quantum debet lyra, carmina quantum
Debent, musarum totum tibi militat agmen,
Parnassiq. acies in te coniurat amice,
Aut Italos neruosue velis pulsare Latinos.
Est quibus incolumis rueret sine legibus orbis,
Quin etiam rerum Genitor, rerumq. repertor.

Cæli-

Cælicolas certis disponit legibus, æquos
Ad se se recipit, plectit sub tartara sontes.
Hic orbe exiguo Romana potentia fulges
Sed quantum pictæ tabulæ decus addit auitum
Stemma tuum nostri ò columen lumenq. senatus,
O Vrbis Consentinæ spes altera surgens?
Quis tanto ignoret cur flagrent igne phalangæ,
Si te perpetuo exurit generosa Cupido
Astra sequi, ac magnis, virtutem extendere factis?
O quot habes, quorum cupidus vestigia lustres
Quos tibi dat patriam cælum quos patria tellus,
Siue duces studeas imitarier, altaue cælum
Mens subeat, quali nocturno tempore currus
Tramite, sol ducat, cur Cynthia palleat ore
Interdum, timeat cur arctos æquore tingi,
Cur adeo creber dominetur vesper olympo,
Seu libet occultas naturæ discere causas,
Cur plantæ gelidis crescant humoribus, auris
Cur degant volucres, terris animalia, vasto
Quare pernices irrepant æquore pisces.
Cur cadat in medium grauius, leuiora per altum
Cur serpant, flammæ rubeant, cur candeat, æther
Seu sedet vt deceat populis dare iura, nocentem
Tradere lictorum gladijs, absoluere iustos,
Litibus optatum scissis imponere finem:
Allicit ad strepitum Martis te Milo per orbes
Panthoides vitreos spatiari inuitat, at inter
Purpureos patres effulgens gemma Parisus.
Quali percutiet iuuenilia pectora thyrso?

Sed

Sed quid ego memorem immatura falce resectos
Est tibi Flamminius, *qui stemmate ductus eodem*
Parisio, *doctis libris quos ipsa tuetur*
Pallas inaccessi iuris secreta retexit.
Qui licet hinc absit suaui nos recreat aura,
Quem nisi decipior, vel quod mens augurat olim
Accidet ex animo redolentes Numine leges
Hunc dantem populis te te duce Roma videbis,
Seu pastorali radio, fulgescere, siue
Cernere respersum gaudebis sanguine conchæ.
His centumq. alijs calaber quos protulit aer,
Dirige venturos tenebrosa perauia mores.
Sed quid agit stimulis animum, retrahitq. fugaces
Letitia sensus? hæeu mortalibus vnquam
Integrum nihil eueniet, miscentur amaris
Dulcia, Rex Siculus dape dum lætatur opima,
Instantem vidit proprijs ceruicibus ensem,
Parelici en hodie Prætore absente gemiscunt,
Quem decumbentem stratis tenet inuida febris,
Hunc deflet lacrimis hodie pluuiosus orion;
O vbi te ponam Prætor dignissime, quando
Ordo Parelius te vindice mole sua stat;
Nec timet iratas inopino turbine ventos?
Ipse meis equidem volui te intexere chartis
Sæpius, at virtus tua me perterruit ingens
Vrbani ò nunquam morituri in secula centum
Maxima pars superas rediuiuum reddit ad auras
Quem tua splendescens generoso pectore virtus.
Huius mens decies numeris vrgere sepulchrum

Optauit Veralde tuum sub nomine ituris,
Sed fateor veritus conceptum viscere vulnus
Ex parte obductum incauto recludere versu,
Sed quid opus numquam morituro est carmine? viuit,
Et viuet semper ventura in sæcula nomen,
Nec tantus morietur honos dum Martia Roma
Æneæ stabit saxo fundata vetusto,
Romanusq. pater terræ frenabit habenas.
Tu quoque consilijs aderis Capranica *nostris*
Consultu re olim maioris forte Senatus
Rebus cum plenis ætas adoleuerit annis,
Hoc sperare iubet iuuenili pectore surgens
Virtus, hoc pulchri mores, venerandaq. vultus
Maiestas, annos non præstolata seniles,
Hoc numquam temere vox garrula missa labello
Hoc sperare iubent soboles, ataui q. priores,
Queis satus exornas tantis virtutibus Vrbem
Spem Pater hanc modidus Romano murice nutrit,
Qui licet extinctus tot adhuc ad Palladis artes
Non moriturus alit ventura in sæcula, functus
Qui tot muneribus latia pro sede futuris
Vobis ad res præclaras calcaria subdit
Subdit, iterq. sua qua splendet luce retexit.
Quid sibi vult triplex paribus radicibus arbos
Emergens, virides tollens ad sydera ramos?
Nimirum soboles tua, tempus in omne virescens
Prole virum magnisq. opibus virtutis odorem
Effundit late, cælestibus æmula flammis,
Nocte suis tantum pingentibus æthera pupis.

Nec

Nec tamen ingenio pollens, indictus abibis
IVLE mihi, nostri pars ingens ordinis, auster
Cuius consilijs perflabit inaniter auras,
Et bene veloces per inhospita, saxa iugales
Parelius ducet Rector, nec vindice cælum
Te metuet penetrare, Dei sibi iura retexi
Seu placeat, rerumue velit cognoscere causas;
Seu legum cupiat dubios sibi demere sensus.
Quo vos ò socij quos Rector honoribus auxit
Carmine Calliopes celebret? quam multa sub alto
Corde premit reticetque, alias fortassis olympo
Sublatura suis numeris, nam lenta retundunt
Fila chelis sonitum, ac fessis vox faucibus heret.
Cur ergo haud tantis lætentur honoribus aucti
Parelici, ac festis circundent tempora ramis?

Ego Pompeius Vgonius S. Theologiæ doctor vidi superiora Poemata D. Antonij Vallij cognoui, quæ imprimantur censeo, cum nihil contra fidem, autres con tineant.

Ego Pompeius Vgonius m. p.

